



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Ivstitia Et, Ivs. Sex Libris totidem Tractatus appono, nempe de rerum
Dominio, de Restitutione, de Contractibus Gratuitis, de Contractibus
Onerosis, de Contractibus Fortunæ, de Contractibus Adminicularis, de
Quasi-Contractibus, & nonnullis Innominatis

Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663

Cap. 1. Quid sit Ecclesiasticum Iuiunium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80681](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80681)




LIBER XLV.
PRÆCEPTVM QVARTVM
DE ECCLESIASTICO IEIVNIO.

PRÆCEPTVM quartum Ecclesia circa Ieiunia Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum que præscribit obligationem. Exprimam, quid sit Ieiunium Ecclesiasticum? Quanam ad illius essentiam requirantur? Quinam ad eius obseruationem obligentur? Quinam verò eximantur.



SECTIO PRIMA.

De Præcepto obseruandi Ieiunia, Receptiores sine lite Sententia.



CAPVT I.

Quid sit Ecclesiasticum Ieiunium?

VLGARE est, ieiunium ex vi suæ significationis importare abstinentiam quæ quidē quatuor modis potest accipi. Primo, pro abstinentia à vitiis, & peccatorum fuga. Cap. Ieiunium, de consecrat. dist. 5. Secundo sumitur pro abstinentia à qualibet re per modum cibi & potus, & hoc dicitur ieiunium naturale, quod frangitur quoties aliquid cibi, vel potus in stomachum transmittitur; qui autem degustans, statim ejicit, non dicitur ieiunium naturale violare. Tertio recipitur pro parsimonia, & temperantia, quæ in hoc posita est, ut non plus cibi, aut potus absumatur, quàm ratio naturalis præscribit. Quarto denique sumitur pro ieiunio Ecclesiastico, quo præcipitur vnica in die comestio, hoc est à media nocte ad mediā vltque noctē futurā. D. Tho. 2. 2. q. 147. Filliuc. tract. 2. 7. part. 2. cap. 1. Reginal. l. 4. num. 125. Nauar. summ. cap. 2. 1. numer. 11. Fagund. præc. 4. lib. 1. cap. 1. numer. 1. Sancius in select. d. 5. 1. 1. & 2.

¹ Ieiunium Ecclesiasticum est abstinentia voluntaria à cibo iuxta Ecclesie præscriptum, vel receptam consuetudinem. Dicitur voluntaria, quia est actus virtutis, & præcipue temperantiæ ac obedientiæ, qua præceptum de Ecclesiastico ieiunio integrè ac perfectè asseruatur; ad tem-

perantiam enim pertinet delectationem cibi, ac potus ita moderari, ut in ipsis debitam constituat mediocritatem, ut huiusmodi delectatio sit iuxta mensuram rationis. Dicitur à cibo, non autem à potu; quia potus potius ordinatur ad distributionem per corpus ob sanguinis refrigerium, quam ut per se corpus aliat. Et quia nomine cibi non veniunt medicinæ, potiones, & electuaria, quæ licet nutrant, sumuntur tamen ob infirmitatem subleuandam & ideo non solvunt ieiunium. Adicitur, iuxta præscriptum Ecclesie, id est, eo modo fiat, quo præscribit Ecclesia. Præscribit autem ciborum certi generis abstinentiam, vnicam comestionem, & certam refectionis horam. Lessi. l. 4. c. 2. dub. 2. n. 8. Bonac. de præc. Eccl. d. vlt. q. 1. punct. 1. n. 7. Sancius in select. d. 5. 1. n. 2. & omnes.

² Adest equidem ieiunandi præceptum. Quia vero ieiunium ab Ecclesia pro diuersis temporibus & diebus est institutum, ideò ex iure non colligitur vnum commune ieiunandi præceptum, sed diuersa pro diuersis temporibus. cap. Non licet, cap. Non oportet, cap. Placuit, de consecrat. dist. 5. & cap. Consilium, de obseruat. ieiunior. Porro hi textus non condunt nouum ius circa ieiunium, sed declarant obligationem iā ab Ecclesia impositam, ideòque non vtuntur verbis præceptiis, sed tantum declaratiuis obligationis. Vnde impudenter asserunt nostri temporis hæretici, ieiunia esse libera, & ex cuiusque arbitrato suscipienda. D. Tho. 2. 2. q. 147. a. 8. Tolet. l. 4. c. 2. n. 1. Azor. to. 1. l. 7. c. 8. q. 3. & c. 10. q. 6. Sancius in select. d. 5. 1. n. 4. & omnes.

CAPVT

SCOBAR

col: Mor.

WVIVII

E. IV

6